HUGO DE SANCTO VICTORE. GUILELMUS DE SANCTO THEODORICO. BERNARDUS CLARAEVALLENSIS
Göttweig (?), 4. Viertel 12. Jh. Seite 19v
Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36641
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift



Propterea ergo sup mundane laudatur ab ipsis eloquiis formationibus
dissimilibus eloquiis dico siue ipsis formationibus uocantibus eam di
uinam: scilicet naturam inuisibilem et infinitam et inconprehensibilem.
Primum infinitam in se: de inde inuisibilem nobis: post inconprehensibilem a nobis. Et alia quoque multa ipsis eloquiis uocantibus diuinam naturam: que talia sunt ex quibus nunquid est: sed quid non est significatur. Cum enim inuisibilis et infinitus et inconprehensus dicitur deus: non quid est dicitur: sed quid non est. Non est enim uisibilis: quia uideri non potest: neque finitus est quia loco non clauditur. nec tempore terminatur: nec conprehensibilis est quia et si quod est creditur quantum est non capitur. Qui ergo inuisibilem dicit non esse dicit quod est: sed non esse quod non est. Similiter et qui infinitum dicit et incomprehensum non dicit esse quod est: quia nichil esse affirmat sed non esse dicit quod non est: quia aliquid esse negat. quoniam et quod non affirmat est quod dici non potest: et quod negat non est quod potest intelligi. Sequitur: Hoc enim ut estimo potentius est in ipsa. Hoc uidelicet ex quo nunquid est. sed quid non est significatur. potentius est i. efficatius et magis proprium et expressum in ipsa: quoniam qui dicit quod non est dicit quod aliquo modo potest intelligi. Sequitur: Hoc enim ut estimo potentius est in ipsa: quia autem dicit quod est dicit quod nullo modo potest conprehendi. Ergo potentius est et excellentius quantum ad ueritatis expressionem dicere quod non est deus quam quod est: quoniam quidem ut occulta et sacerdotalis traditio introduxit. hoc quidem non esse secundum quid eorum que sunt uere eam dicimus. ignoramus autem sup essentialem ipsius et inuisibilem et ineffabilem infinalitatem. Ac si diceret Sic testatur auctoritas sacre scripture: sub introducta ex occulto in manifestationem et tradita ad correctionem et informationem. Sicut ergo ipsa traditio hoc est ipsa auctoritas tradita occulta quantum ad c[illegible] misteria sacramentorum occultorum: et sacerdotalis quantum ad ma[illegible] ipsorum diuinorum scriptorum dignitatem et sanctitatem et sui sanctifica